

Tu tuum nomen , decus, atque laudes  
 Porrigis, primo radios ab ortu  
 Qua vehit Phæbus celeri rotatu ad  
 Littora Calpes.

Et tibi debet studiosa summum  
 Turba quaesituum meritis favorem :  
 Quam manu docta , et calami magistra  
 Arte beasti.

Sic placent gnavo facies labore  
 Principum pictæ, quibus italorum  
 Paruit quondam regio , simulque  
 Dorica tellus.

Sic juvat , quorum veneramur artes ,  
 Dogma, virtutem , pia gesta , vitam ,  
 Gratiam , roburque , scientiamque ,  
 Cernere vultus.

Vivida quos sic oculis figura  
 Subiicis nostris , proprioque gestu ,  
 Ut putet quivis ea signa veram  
 Ducere vitam.

Gratiam sæclis tibi sic futuris  
 Adstruis: qua qui valuit potiri ,  
 Dicier credo hunc potuisse ab omni  
 Parte beatum.